

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 2.

---

#### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysium-Meum. Die Martis. 24. Jan. 1809. (Neov. 6. Jan. 1809.)

---

Prostratus jacet derelictus  
Ab iis, quos olim bearat,  
Amicorum nullus adest misero  
Indens amanter solatia.

*Dryden.*

---

#### *Colloquentes Manes.*

*Lud. Christ. Baro a Stein. Joan. Petr. Snell.*

**S***nell.* (Intra se) En adest! ignarus, quæ posteros maneat sor. suos, an ei commemorem? an ægre non feret?

*Stein.* Hoc ipso te quæsi, Care popularis! gaudeo de tuo conspectu, diversa audiuntur nova, sane! nequeo reddi certior.

*Snell.* Legitur quidem in publicis paginis: Americanos australes Hispanorum, in O Europæ nexu se exsolvendi consilia fovere, at fontem, & progressum publicæ paginæ non memorant. In tenebris igitur palpatur.

*Stein.* Ut hoc? quæso fontem & historiam.

*Snell.* Paucis advert-, docebo. Jam Anno 1803. propinquus Gen. Ducis (hodie Pro regis) Liniers ex Bonds Ayres Londinum venit, ad tractandum cum Anglicano regimine

intuitu independentiæ regni Rio de la Platta; an motiva ad hanc tractationem magis ratione Colonix ad metropolitanum territorium, aut familiæ Liniers ad Proregem provinciæ nixa, indecisum manet. Id satis: Anglicanum regimen promptum animum ostendisse consilia independentiæ fulciendi, Causaqua controversa, cui postea Ill. Home Popham implicabatur, abunde argumento fuit, eum non ex plenitudine datæ potestatis, verum ex mandato primarii Ministri Pitt expeditionem ex promontorio bonæ spei, ad Rio de la Platta suscepisse.

Ajo: *Anglicanum regimen paratum se præbuisse ad molimen independentiæ fulciendum.* Ita saltem sonabat ejus pollicitatio. Intra se optabat tentamen suscipere: an ægritudo Hispanorum in America occupationi faciendæ occasionem præbere non possit. Popham igitur audacissimus Pro Admiralis mandatum accepit, velaque, ut constat, cum necessariis copiis in Majo 1808 ad Buenos Ayeres dedit. In expectati Proregi die 24 Junii Angli prope portum comparuere. Ille copias, quibus præerat, iis obviam misit. Ab Hispanis solum dependebat, Anglos, quatenus hostilia molirentur, intra paucas horas si non delere penitus, saltem ad subitum receptum adigere. Ex his non modo actum est nihil, verum hispanicæ copiæ a flumine Chnele, quod facili labore defendere potuissent, ad Buenos Ayeres recesserunt: & ubi Prorex, cui proditio suorum ducum non dubia diutius esse

potuit, fugam corripuisset, die 2. Julii inter Gen. Ducem Beresford, & Præfectum Classis Popham ex una, hispanicum Governatorem Josephum de Gujetana ab altera parte, ea Conventio inita: vigore cujus Anglis possessio urbis Bonos Ayres transcripta, præsidarii que hujus metropoleos in servitutem redacti, si expectationes Anglorum secundo hoc successu superatæ fuissent, Hispani ratione horribili delusi fuissent. Hispani independentes fieri voluere, sed non Anglorum Colonistæ. Hoc iis ægerrime accidit, cum primis cum Anglos 1,086,208 ex thesaurario tulisse vidissent. Liniers, cujus Cognatus Independentiæ Londini negotium agebat, cuique ea ex parte Angliæ promissa, Ineolis præibat, adjutus a quodam Puemida, eosque propudiose ceu homines fidefragos urbe expulit.

*Stein.* Bene factum! Independentiam pronunciare, tum occupare velle! bene inquam Anglis accidit! —

*Snell.* Dicam amplius. Postquam novum Continentis Bellum inter Borussiam Russiamque ex una, & Galliam ex altera parte erupisset, regimen Anglicanum indicabat: occupationem Buonos Ayres adversus adprobationem suam consecutam esse, cum vero acie Jenensi decisum fuisset: Hispaniam Galliæ non obstituram, eorum Cabinetum Anglicanum sua occupationes faciendi consilia prosequebatur. In vicem fœderatos in Continente adjuvandi, Angli copias suas ad Buonos

Ayres expeditiverunt, & æstate 1807. adpulerunt. At Liniers sufficienter paratus erat; eos urbem usque penetrare permisit, ubi Anglicanus Gen. Locumtenens Whitelohæ æque ad Transactionem se adactum vidit, ut anno priore Beresford exceptus est, adjuncta Anglorum post hanc Cladem eo acerbiora esse debuerunt, quod obtulerint conditionem tota australi America decedendi, proin & montem Videum reddendi. Ex omnibus his eventis judicandum est: Anglos nec minimam probabilitatem habere durabiles in America australi occupationes faciendi.

*Stein.* At jam libertatem Incolarum provinciæ Rio de la Plata admittere debebunt?

*Snell.* Sine dubio. Jam constat e publicis paginis: fratrem Proregis Liniers in Brasilia agnitum, ad fratrem in urbem Buonos Ayres ab Anglo in Anglica nave expeditum esse, memorant quoque Gallicæ paginæ: australem Americam libertati se asserturam. Probabile igitur est: Anglos, quoniam occupationem provinciæ hujus perficere nequiverent, libertati ejus nunc assensuros, cumque Liniers Commerciale Tractatum ineundi consilium habere.

*Stein.* Gratias, amande popularis! habeo quod tam gravia me docueris. Interim alla adhuc povitas me angit: hesterno ab adventis ex superiore mundo nomen Stein memorari idemtidem audivi, quid rei subsit, non comperi.

*Snell.* Est ita aliquid, nescio quid. —

*Stein.* Videris anxius, dilecte patriota! obsecro edissere, quid est? torqueor.

*Snell.* (anxie). Est ita aliquid in publicis paginis — — Sed —

*Stein.* Prodi sis, foras; obtestor.

*Snell.* (Protrahit Ephemerides, legitque) Erfurto de 1. Jan. Jussum ad exercitum: 1) Stein turbas in Germania excitare conatus hostis & Galliarum & Rhenani fœderis declaratur. 2) Prædia, quæ memoratus Stein tam in Gallia, quam ditionibus Rhenani Fœderis possidere cognosceretur, sequestro adficienda, Memoratus Stein ubi ubi a nostro aut fœderatorum exercitu deprehensus fuerit, adprehendendus. — Datum ex Cæsareis Castris Madrito 16. Decemb. 1808. Subscr. Napoleo. C. concordat Originali. Belli Minister C. ab Hünneburg. Concordat orig. Agminis Gen. Dux Imperii Comes Præses Gen. Stabi exercitus Rhenani Dominicus Compans.

*Stein.* Jam omnia teneo (paullo meditabundus.)

*Snell.* (vult eum distrahere) Sine, novissimas Parisiis de 1. Jan. relationes percurramus. Sequen, Madrito de 21. Dec. complectuntur; — „Exacto lustro die 19. hujus agmen Mareschalli Ducis ab Elchinga jussum accepit in procinctu consistendi. Hodie id directione Salamancio egreditur, ubi Angli ad 12—15 mille consistere perhibentur. Lustrum magnam Incolarum Madriti copiam allexit, elegansque præbuit spectaculum. Imperator pedes aderat, ordines singularum le-

gionum permeabat, multos de militia allocutus, multas promotiones suscepit. In ejus comitatu continebatur Princeps Neocomensis, & plures Imperii Mareschalli. Hodie fertur Sua Majestas ad aliquot dies isthinc discessura, Princeps Isenburg cum germanico agmine isthic moratur, quod moderatur. Nuntii ex Andalusia passim ferunt: summam ductores inter reliquias seditiosorum agminum moderantes vigere dissensionem. Supremus Dux Castanos, qui semestri ante a peritia rei militaris celebratus, captus, jam imperitiæ, jam proditionis accusatur.

*Parisiis die 2. Jan. Die 25. Dec. & sequentibus* cohors Pondetiana in itinere suo in Hispanias Lugdunum transit: Festa continua durante transitu locum habuerunt.

Sequens uberior Indicatio complexus Cæs. Decreti de 12. quo mancipatus in ditione Montis, Cliviæ, Erfurtæ & Fuldæ, Hannoviæ & Biruthino abrogatur. 1) Omnis mancipatus a die promulgationis cessat, mancipiaque ad præsens Juribus Civilibus restituuntur. 2) Restrictiones Colonistarum de integro tolluntur, hi plenam bonorum proprietatem domicilii, cum exceptione nemorum veterum, lignique pro ædificiis consequuntur. 3) Obligationes serviendi, Jus emancipationis, casus caducitatis, si prædio non adhæreant, tum gratuitæ operæ absque compensatione abrogantur. 4) Compensatio locum habet: in Jure hæreditario, casu defectus, præstationibus successionis, manuali

mercede. Jure successorio &c. quæ compensationes intra quatrimestre cum assensu partium definiantur, & Contractus legis vim habeant; 5) Si intra quadrimestre Conventio locum non habet, compensatio Domini terrestris hac ratione obtineat: prædia 50 & infra Jugerum præter annum Canonem, insuper Decimam titulo Compensationis præstant; quæ a 50—150 jugera continent. Notam partem, & quorum prædia 150 Jugera excedunt, octavam. 6) In securitatem Jurium terrestralium prædia infra dena Jugera distribui, aut dividi cautum est. 7) Quævis quæ olim obtinuerunt præstationes, redimi possunt, neque ullus Dominus terrestris redemptionem denegare audet, si in vicem 4 Librarum proventuum 100 Capitalis Summæ numerentur. 8) Creditores prædiis Dominorum terrestrium hypothecam habentes Jus in prædia amplius non habent, verum in solos proventus, & ad eorum alienationem agere possunt. Reliqua Capita de sylvis agunt, iisque definitur: quæ Jura Domini terrestres, & quæ Inquilini, Coloni, Colonistæque habeant.

#### B I O G R A P H I A

*Ludovicus Christophorus L. Baro ab Et in Stein senior erat universæ Nobilitatis regionis mediæ Rhenanæ, & Consiliarius Equestris ordinis infra Rhenanæ. Pater ejus erat Comitum Nassoviensium Consiliarius, & Supr. Præfectus Wilburgi, ubi 1630 obiit. Ex hac gente originem duxere Barones a Stein prædia gentilitia ad Labam tenentes, Domini a*

Stein a vetustis temporibus in multis Germaniæ provinciis inclaruere. In Pomerania, Svevia, Franconia ad Rhenum in Annalibus legitur nomen Dominorum a Stein, & multi adhuc superstites. Quidam Henricus a Stein circa 922 bellicus Centurio floruit. Ut Ulricus a Stein anno 948 Constantiæ, Balthasarus 1042 Halæ. Anselmus & Siegefridus Anno 1164 Tiguri, Dietz, & Joannes 1372 Bambergæ in hastitudinis comparuisse dicuntur.

*Snell* (Joannes Petrus) Inspector Daechenhusensis in Hassio Darmstad. Inf. Comitatu Catto Ellenbogensi, luci editus Braubachia 1726. Editor est minorum aliquot publico judicio probatorum operum theologiæ, & philosophici argumenti, quos eruditos habuit filios, qui omnes editis operibus celebritatem adepti, quorum unus ei in munere successit, hi omnes Culturam mentis ei in acceptis ferunt. Erat primus eorum Institutor, ad eorum institutionem ipse specialem Grammaticam libroque Elementares nunquam tamen typis editos elaboravit. Novissimum ejus opus 1796 Brenæ editum, sub titulo: Sophocles, seu exactissimus, & clarissimus conceptus rationabilis moralis Systematis, quod duobus dulcibus sibi pignoris eo consilio dedicavit, ut eos a moralibus, quæ habebant, principiis ad sua reduceret. In hoc opusculo se Eclecticum declarat, cum omnes ejus filii recentiori Philosophiæ dediti essent. Obiit 1. Aprilis 1797. ætatis Anno 87.